



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 39. Ait illi Petrus etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabe,
similiter & omnes discipuli dixerunt. v. 36.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Domine Deus meus exemplo Petri melius doctus, vires meas sive corporis sive animæ nullas esse, tuam vero potentiam in omnibus mihi adesse, & omni creaturæ in sua operatione necessariam, scio, igitur quid moror? tibi me & omnia mea credo uni, verba actus, cogitationes præsentia & futura tibi offero, tu ea moderare, & rege juxta magnam misericordiam, & voluntatem tuam non meam, si enim non adiuveris me quid sum, aut ero? nihil, terræ inutile pondus massa lutea, mancipium diaboli, perpetuus inferni titio: Ergo me tibi totum credo uni & soli, reje ctis amodo omnibus aliis fulcimentis in quibus temporalem habere possim fiduciam, aut in quibus propriæ vires spe inani me alere consueverunt.

§. 39. *Ait illi Petrus etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo, similiter & omnes discipuli dixerunt. v. 36.*

Petrus animosior factus tam ex memoria suæ prælationis inter discipulos; quam etiam ex communione pretiosi corporis & sanguinis Domini, & cum eo etiam cæteri Apostoli, ex fervore spiritus dicebant singuli, & si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et Petrus quidem divino ebrius amore serio tunc opinabatur, nunquam se posse separari à Domino suo, nimirum quamdiu mensæ adhuc Dominicæ accumberebat, sed paulo post mensam surgentes, & Domino à mensa ad hortum properante, ubi tentationis locus erat, propter advenientem videlicet ludam cum cohorte militum & tenebrarum principes, ijdem aliter loqui & sentire inceperunt. Dominumque in periculo deseruerunt primum non orando cum eo, deinde dormitando, denique fugâ. Heu inconstantia hominis, si quis vel vino felicitatis potato agilior aut consolatione divina animosior, vel per Sacramenta Dominica excitatior factus sit, quam promptum, quam ferventem animum sentimus? adeo ut etiam paratos videamus, cum Domino in mortem ire, sed recedente felicitate, aut consolatione spiritus, aut adventante qualicumque adversitate, Bonum Deum! quantum mutamus opinionem? quantum verba! voces! affectum! actus!

Deus misereatur nostri, sicut misertus est super Apostolorum inconstantia, & confirmet nos sui solius amore & gratiâ æternâ.

§. 40. *Tunc venit Iesus cum illis in villam qua dicitur Getsemani. v. 37.*

Notandum quod omnes discipuli, Juda excepto, Christum comitati sunt à cona usque ad villam Getsemani tum more inter discipulos recepto, tum propter iuramentum quod fecerant paulo ante in mensa, dicentes: *Et si oportuerit me mori tecum non te negabo.* Jbant itaque ea mente ut ostenderent effe-